x) ad 196

Johannis Vitodurani chronicon ad a. 1265.
(Leibn. acc. hist. p. 21. 22. Thes. hist. Helv. p. 6. 7.)

Circiter ipsa tempora floruit frater Bertholdus ordinis fratrum minorum in alimania, egregius praedicator, qui circumeundo et perambulando frequenter alimaniam ipsam mirabiliter illustravit et peccatores innumeros verbo et exemplo pariter ad dominum convertebat, cujus memoria in benedictione est et adhuc recentissimo meo tempore (Johannes von Winterthur selbst minorite † 1348) perseverat in hominibus. In campis saepius solebat praedicare et tunc populus ex omnibus partibus finitimis confluebat, qui solitus erat cum amborem in camporum planicie sibi constructum ibidem sermocinaturus ascenderat, quod per pennam filo appensam et in aërem protensam, flatum venti a qua parte veniret perpendebat et versus illam partem populum persuadebat consedere. Iste fuit linguae disertae, vitae sanctae, magnae literaturae, sicut adhuc evidenter apparet et patet in diversis voluminibus ab eo compilatis sermonum, quos rusticanos appellari voluit.

In suis praedicationibus peccatores inveterati, obstinati ac sceleratissimi surrexerunt aperte peccata sua confitentes et vitam turpem praeteritam abdicantes veniam atque postulantes et satisfactionem ac emendam dignam promittentes. Et ab hominibus adhuc praesenti tempore, scilicet anno MCCCXL superextantibus, qui saepe suis sermonibus interfuerant, (müßen 80 jährige greise gewesen sein) multis et